



VIII. 3. 19 x

Hist. G. 769.  
Historia Hungariae

Lodislai de Macedonia  
Oratio ad Romano-  
rum Imperat. Caro-  
lum V. etc. pro Hunga-  
ria et Sclavis.


Psid. Kal. Oct. 1530.




55

CIMEL

5559





LECTOR  
CANDIDE  
NOIO TR NO  
ORATIO AD IN=

VICTISSIMVM ROMANORVM

Imperatorē CAROLVM. V. Fe. Pi. sem/

per Aug. ac Reuerendissimos Illustrissi/

mosq; Principes, & reliquos sacri

Ro. Imperij status pro Hun/

garis & Sclauis.

PER REVEREND. LADISLAVM DE

Macedonia Episcopū Varadiensem. Sereniss. Prin/

cipis, & D. D. FERDINANDI. Hungariae

& Boemiae Regis, &c. Consiliariū, Ora/

torem Hungariae, Augustae in Co/

micis Imperij habita. Pridie

Kal. Octobris. Anno

M. D. XXX.

REGNI SCILAVONIAE  
REGNI THOMAS KAMARIAH  
sacris Regis & Consiliarij status

*Cim. Qu. 5559*

LECTOR  
CANDIDE.  
NOLO TE NO  
MINA ORATORVM  
ET REGNI HVNGARIAE  
ET SCLAVONIAE IGNORARE.

REGNI HVNGARIAE.  
REVERENDISSIMVS LADISLAVS  
de Macedonia Episcopus Varadiensis.

MAGNIFICVS NI  
COLAVS COMES DE THVROCZ  
Magister curia. Consiliarij Regij.

REGNI SCLAVONIAE.  
EGREGII THOMAS KAMARIAII  
aulicus Regius & Georgius Spjczko.

**S**ACRATISSIMA MAIESTAS IMPERIALIS  
Domine nobis clemētissime, Prælati, Barones & Nobiles atq; alij ordines Regnorum Hungarie & Sclauoniae, seruitutis eorū fidem ac promptitudinē in gratiā Maiestatis uestræ Cæsareæ sollicitē cōmendant optantq; Maiestati uestræ incolumem & diuturnam uitam, & hanc rerum eius gestarum magnitudinē & felicitatē, ut Maiestati uestræ sempiterna sit, Deum rerum omnium opificem precantur.

Agunt inprimis Deo opt. Max. imortales gratias, & M. V. Inuictissime Cæsar, apprime gratulatur, Quod M. V. tot triumphos, tāq; multiplices uictorias ex uarijs & potentissimis hostibus suis, superioribus annis retulerit, & magnā orbis partem cunctis ante hac sæculis inognitam, classis M. V. inuenerit, inuentam auspicijs eius domuerit subdideritq; nō paruis fidei Catholicæ fundamentis in ea iactis, proinde cum M. V. & terra & mari in ipsos usq; antipodas imperiū protulerit, ut armis eius omnis ferocitas populorū cederet, non immerito, quin potius pie & religiose auguratur M. V. inuictissimā etiā aduersus immāissimū Christiāi nominis hostem, simili & feliciose auspicio progressurā pugnaturamq;. Gratulantur itē qd M. V. Cæsarea omnibus ratiōibus & priuatis cōmodis postpositis, cū principibus concordiā inierit, ut totas deinceps uires in hostes religionis cōuerteret, pacatoq; totius Italiæ statu, M. V. Cæsarea, per sanctissimū Dominū nostrū Clementē Septimū, Pon. Max: legittime iniūcta, & Coronis Imperialibus rite insignita fuerit, quod felix faustūq; ac uniuerso nomini Christiano salutare sit exoptāt. Verūenimvero Proceres nostri cū primis se M. V. obnoxios fatētur, quandoquidem non dubitant, M. V. plurimum de suo iure apud hostes decedere coactam, dum fœdus cum eis

A. ij      paciscitur

paciscitur, ut pacato Occidente & Italia, Austria laboranti succurteret, atq; Hungariã iam iam labentẽ fulciret, quẽ admodũ M. V. statim iter ingressa, magnis mox itineribus ex Italia in Germaniam contendit. Hungaris nimirũ & Sclauis aduentus M. V. sacratissimæ, tanto maiori fuit desiderio & expectatiõni, quãto maioribus periculis, inter cæteras Christianas nationes, tot annis sunt uexati & attriti, resq; eo redierint, ut post Deum non nisi uirtute & auxilio M. V. Catholica, incolumitatem eorũ pristinam recuperaturos sperent. Gratulantur postremo quod M. V. Cæsarea, tempore usq; adeo necessario, ad succurrendũ, nõ tam Regiæ Maiestati, quod ipsum erat pietissimi Fratris officium, sed ad ferendã opem uniuersæ Christianæ religioni afflictæ & laboranti, ut optimũ & Christianissimũ decet Imperatorem, Serenissima Imperatricæ, & Christianissimis liberis relictis, ex Hispania in Germaniã accesserit. neq; enim nos aliam huiusce laboris causam arbitramur, q̃ ut Imperiũ Christianũ, in has coactũ angustias, aduentu suo restitueret, defenderet, proferret ampliare. Quamobrem pro explorato habeat M. V. sacratis. Hungaros & Sclauos etiã in electione, Serenissimi Regis Ferdinandi Dñi nostri clementissimi, nil æque spectasse & habuisse præ oculis, q̃ Cæ. M. V. quæ cum Dei bonitate, tot Regnis & fortissimis nationibus præsit, & hac Romani Imperatoris dignitate excellat, & Regis nostri Frater sit. Speramus eorum auspicijs fore, ut aliquando Turcæ a finibus patriæ nostræ, prouintiarumq; suæ Maiestatis propulsentur atq; adeo Christianus orbis a seua & diuturna illorũ infestatione ac rabie liberetur. Neq; opus est, ut longa oratiõe prosequamur qbus calamitatibus Hungari & Sclau, plusq; percentũ annos, dum se & uniuersam Christianitatẽ tuentur, sint attriti,

attriti. Notas enim habet eas, S. M. V. praesertim quum anno proximo Austria quoque, auitam Maiestatum uestrarum prouinciam, eadem clades inuoluerit, & cum a Regia Maiestate Domino nostro clementissimo, tum ab alijs principibus, subditisque suis haec toties repetita planissime intelligat. Cogitet Maiestas uestra, quot Christianorum milia, uel unico anno superiori, hostibus in seruitutem crudelissimam cesserint quantamque uno impetu stragem & uastitatem fecerint, tum facilius animo suo considerare poterit, que ab annis centum & triginta haecenus Hungari & Sclauis pertulerint, Cum interim suis tantum opibus uiribusque, et non alienis auxilijs niteretur. Moneat Caesarem Maiestatem uestram, Christianissimorum maiorum suorum splendor, ac nomen immortale, respiciat omnium nationum in se conuersam expectationem, Non aliam ob causam Deus Maiestatem uestram tot comodis, quae in uita expectantur ornauit, tot clarissimis uictorijs illustram reddidit, tot nationes illi subiecit, Christianorum caput & imperatorem esse uoluit, quum ut Religioni sanctae, sic lacerae consuleret, eaque suo restiturer auspicio. Nolit quae so Maiestas uestra sacratissima, tantam cum aliarum nationum, tum Hungarorum & Sclauorum spem & fiduciam destitutam esse, Nunc esset tempus, quod uel a Deo optari poterat, maxime idoneum, quo Turcis bellum inferatur, quo Christianis tranquillitas parari possit. Quod si hunc conuentum Maiestatis uestrae ac principum, desideratus euentus non sequetur, quantam deus bone desperationem cum alijs Christianis, tum Hungaris & Sclauis Maiestas uestra Caesarea relinquet, hostium animi magis, quam unquam alias esserentur, nouam certe & inauditam Hungariam ac Germaniam comparabunt expeditionem, & extremos in excidium Christianorum conatus suos intendent. Dignetur

itaq; Maiestas uestra clemētissima, calamitatum Hungariæ  
& Sclauoniæ misereri, & earum liberationi tandē consulere,  
atq; ita sibi persuadere, posse eam nationē, Maiestati uestræ  
& uniuersæ Christianitati, si adiuti nunc fuerit, tantū inserui-  
re aduersus hostes fidei, quantū queuis alia natio uix possit.  
Nec moueat Maiestatem uestrā Cæsaream esse aliquos qui  
cum Turcarum præfectis sentiant, eos enim nec multos esse  
nec ita animatos, ut si expeditionem in Turcas fieri uideāt  
ad obediētiam Regiæ Maiestatis nolint accedere, accedēt em̄  
(ut spes est) et quidem cupidissime, contra ueteres, ac perpe-  
tuos eorum hostes arma capient. Neq; dubitet Maiestas  
uestra Catholica, paucissimos admodum esse ex Hungaris  
& Sclauis qui sua sponte Turcis faueant, sed partim metu  
cogi aliquos, partim desperatione, quod non existimant  
Maiestatem uestram Cæsaream uelle, Regem autem nostrū  
posse regnum contra hostes potētissimos defendere. Qua-  
propter obtestamur Cæsaream Maiestatem uestram, ut nō so-  
lū afflictæ Hūgarix sed penitus etiā attritæ, ferre suppetias  
nō dedignetur. Idq; dum tempus postulat. Alioqui si hanc  
cōmoditatē resistendi hosti neglexerimus nihil nobis aliud  
sperandum est, quam ut & nos cogamur hostium iugū subire  
& Germania eūdem hostem, quod dñ̄ auertant, sit propediē  
expertura. Commendamus itaq; inuictissime Cæsar Regni  
Hungariæ & Sclauoniæ liberationem, & omnium statuum  
& incolarum salutem in gratiam Maiestatis uestræ, pollice-  
murq; Hungaros & Sclauos & eorum posteros perpe-  
tuis seruicijs deuinctos fore M. V. Catholicæ,  
paratosq; pro dignitate illius fundere san-  
guinem & quoduis subire periculū.

Ad electores

# AD ELECTORES.

PRINCIPES ET RELIQUOS SACRI  
RO. IMPERII STATVS.

**R**EVERENDISSIMI in Christo Patres & Domini,  
Illustrissimi Electores, Principesq; ac Generosi & Ma/  
gnifici huius sacri Imperij ordines, Domini nobis obseruan/  
dissimi Prælati Barones et Nobiles ac alij ordines Regnorū  
Hungariæ & Sclauoniæ. Post salutē & debitæ eorū obseruā/  
tiæ singularem cōmendationē, optant uobis clarissimi Prin/  
cipes domi mutuaē charitatis & cōcordiæ incrementū, foris  
rerū gerendarū prosperos successus. Quanq̄ scimus nemi/  
nē esse in hoc frequētissimo simul ac clarissimo senatu uestro  
Magnanimi Principes, q̄ etiā tacētibus nobis, legationē no/  
strā ignorare possit, tum quod nusq̄ sint ignotæ calamitates  
Regni Hūgarix & Sclauoniæ, q̄s multis iā ānis, dū hæc na/  
tio destituta omī externo p̄sidio, sola cōtra hostes fidei p̄ reli/  
giōe certat accepit, tū q̄d non p̄ oratores nostros de cōmuni  
discrimine reipub. Christianæ apud uos clarissimi principes  
egimus, sed Sereniss. Dñs noster Rex, sicuti nunc q̄q; adest,  
ita superioribus annis, & hostiū uires, & conatus omēs, & peri/  
cula regni p̄terita, & futura, & quæ uobis principes nisi p̄spe/  
xeritis imminerēt, explicauit & depinxit, ut ois nostra oratio  
supuacanea uideatur, p̄sertim quū ea, quæ p̄ximo anno acci/  
derunt pleriq; uestrū non fama tantū audierint, sed uiderint,  
ac re ipsa sint expti. Ne tamē negligentia nostra in extre/  
mis rebus accusari possit, missi sumus a Dñis fratribus & a/  
micis nostris, Regni Hūgarix & Sclauoniæ statibus ad im/  
plorandū auxiliū & uires, quibus ab hoc hoste cōmuni una  
uobiscum

vobiscum, possint liberari. Neq; uos Reuerendissimi atq;  
Illustrissimi Electores, ac reliqui sacri Imperij ordines imme-  
mores esse potestis, quoties p Serenissimos Hungariae Re-  
ges admoniti fueritis, se non posse diutius citra alienum au-  
xilium, tato hosti resistere, seq; diuturna hostium uexatione,  
bellisq; maximis & incursionibus assiduis, ita fessos et attri-  
tos esse, ut ne arces quidem & flumina ab illorum impetu  
seruare aut tueri ullo modo possent. Auxilia sapius uestra  
implorata, nunq; impetrata, siue quod uanas Regum noi-  
strorum preces estimaueritis, siue quod rem alienam & ni-  
hil ad uos pertinentem putaueritis, ferte Hungaris opem  
contra Turcas flagitantibus. Licet quadoq; oratores no-  
stri huius precipuae Casareae Maiestatis temporibus respõ-  
sum habuerint, non omnino ingratum, cuius tamen boni re-  
sponsi, effectus item bonus, in maximis Regni & Regum  
nostrorũ peticulis nunq; apparuit, non quum expugnatum  
Belgradum est, non quum Ludouicus Rex clarissimus he-  
ros, Germana regum propago, pro patria fortiter in acie  
dimicãs, cum optimatibus proceribusq; & tot fortissimis  
uiris interijt, non anno superiore, quando Regia Maiestas  
Dominus noster clemētissimus, persuadere nullis ratiõ-  
bus potuit, ipm Turcarũ Tyrannũ, nõ solũ in excidiũ Re-  
gni Hungariae uenturũ, sed multo etiam longius progressu-  
rum. Si exaudite fuissent ante annos aliquot Hungarorũ  
querelæ, nostrosq; labores adiuuisset licuisset diutius uo-  
bis Principes & Germaniæ populis, quod ad Turcas atti-  
net, uestro ocio, uestraq; frui tranquillitate, nunc si cessa-  
tum fuerit, nihil ob stare poterit, quin paucissimis annis,  
easdem clades, quas Hungaria toties, Austria proxime ex-  
perta est, ipsa quoq; Germania experiatur ac sentiat, Nõ  
clam

clam uobis est, quantos labores & pericula pro defensorne religionis, & patriæ ab annis centum & triginta Hungari & Sclauī susceperint. Cum familia Dominorū aut Nobilium nulla sit, tota sub ditione Coronæ Hungariæ, quæ non aliquot uiros a Turcis extinctos desideret, Nulla ecclesia cuius aliquot Prælati non sint a Turcis interfecti, ut innumerabile populi multitudinem cæsam & abductā, ut regnum fere omnibus partibus igne uastatum prætereamus. Intellexistis uicissim Principes, clarissimas quoq; & creberrimas Hungarorū & Sclauorum de Turcis uictorias, presertim dum essent eorum res magis integre. Diderunt Hungari & Sclauī, licet cum magno suo ac suorū detrimēto, quo pacto cum Turcis sit bellum gerendum, proinde non esse negliēdas eas nationes, quæ future sint Christianis in hanc si suscipiatur expeditionem maximo usui & adiuuēto. Quamuis igitur credant proceres ac ordines Regni Hungariæ & Sclauoniæ, satis superq; uobis principes Clariss, persuasum esse, a Cæsarea & Regia Maiestate, nihil esse hac ipsa in Turcas expeditione magis necessariū, quod etiam res ipsa cuiq; facile possit persuadere, tamen Domini quoq; & alij ordines Regni Hungariæ & Sclauoniæ, uos principes Magnanimi, per Christi Domini nostri preciosissimi sanguinis effusionē, & æternæ beatitudinis premia, obsecrant & obtestantur, ut quod hactenus cum tanta Christianorū calamitate & ruina est prætermisum, nunc demū ad propulsandos & longius summoquendos hostes fidei magnis uiribus accingamini, seruata forrasse ad hæc nostra tempora, & diuinitus destinata, huic inuictissimo Romanorū Imperatori, ac Serenissimo Hungariæ ac Bohemiæ Regi Domino nostro clementissimo, &

B

Illustrissimis

Illustrissimis uobis Principibus, atq; adeo nomini Germano, non solum expeditionum in Turcas, tot sæculis desideratam, sed uictoriã quoq; & orientalis Imperij recuperationẽ. Quæ quidem expeditio nullis fortassis maiorum ætate, aut suscipi felicius, aut absolui gloriosius potuit, quum non ignoretis Turcarum Tyrannum anno superiori, non solum intulisse cladem Christianis maximam, sed accepisse etiã peste, inædia, frigore, ac longo labore itineris, damnum incomparabile, hominum, equorum, camelorum, atq; aliorum iumentorum, quod anteq̃ reparari possit, si instare Principes clarissimi, & Tyrannum alijs etiã forte difficultatibus implicitũ urgere uolueritis, Deo propicio in manibus uestris uictoria est existimanda, alioqui si spacium habuerit reficiendi uires, redibit multo potentior, multoq; q̃ uenerat instructior, non iam ad uastandũ Hungariam aut Austriã, sed ad hanc ipsam Germaniam, uestram patriam, tyrannidi suæ subijciendam. Quod si expeditio per uos Principes clarissimi suscepta fuerit, accedent ultro agminibus uestris numerosæ Hungarorũ & Sclauorum copiæ, cum equestres, tum pedestres, quæ pro defensione religionis & pro uictoria uestra & sanguinem fundere, & mortem fortiter oppetere non dubitabunt. At cõtra si uobis Principes desidentibus, Turca arma uestra præuerterit, ac prior in regiones uestras ingruerit, uetemur ne armis Turcarũ (ut fit) cogantur cum Hungari, tum Sclauis (uelint nolint) cum Turcis una clarissimam hanc Germaniæ oram inuadere, eamq; ferro & igne (dij prohibete scelus) uastare & populari. Quapropter Principes facite ne frustra apud uos uerba de hac miserima calamitate fecerim. Quod autẽ ipsimet, a Cæsarea Maestate ac uobis Illustrissimis Electoribus,

bus, Principibus, ac reliquis sacri Ro. Imperij statibus, sup-  
pliciter petant, ex hoc ipsorum Supplicatorio libello, recti-  
us cognoscetis ac quicquid statueritis Principes, rogamus  
autem ut ea quæ uobis & nomini Christiano salutaria  
sint statuatis, de illo Domini & alij Regni Hun-  
gariæ & Sclauoniæ ordines, primo quoq;  
tempore cupiunt fieri Certiores.

**LIBELLVS SUPPLI**  
**CATORIVS STATVVM REGNI HVNGA-**  
**riæ & Sclauoniæ, ad Sacratiss. Cæsaream Maiestatem,**  
**& Sereniss. Regem Hungariæ & Bohemiæ &c.**  
**ac Reuerendissimos Illustrissimosq; Electro**  
**res, Principes, & reliquos Imperij**  
**sacri status.**

**V**T SACRATISS. MAIESTAS VESTRA  
ac Sereniss. ac Clemētissimus Rex noster, una cum  
Electo-ribus, Principibus, & reliquis sacri Imperij ordini-  
bus, ea subsidia, eas vires, in Regna Hungariam & Sclauo-  
niam in præsentia (cum res ita postulet) mittere dignentur,  
Prelati, Barones Proceresq; & uniuersi Regnonū præfatorū  
status humillime supplicat, quibus per hanc hyemem &  
uniuersi regnorum status pacari, & munitiones Turcis con-  
fines, ita firmari possent, quo arma Turcæ (si primo uere, ut  
hostis est uigilātissimus, patriam nostram inuaserit) tamdiu

B ij remoren

remorentur quoad Copiæ generalis expeditionis in Hunga-  
riam descendere, & nostris se coniungere poterint. Nam  
alioqui si Turca prior Copias suas mouerit, munitiõesq; re/  
gnorum præsidjs uacuas, ac status inter se dissidentes inue/  
nerit, ueremur ne confestim, Hungaros & Sclauos ad arma  
capienda compellat, secumq; ad deuastandas perdendasq;  
reliquasq; Christianas religiões, solita rabie abducat, ac pro  
more suo, primum exercitibus uestris obijciat, ut tandem fes/  
sos & fatigatos hostes, quieta sua Ianiczarorum & equitum  
numerossissima turba adoriatur. Omnium primum uero ad  
pacanda Regna Hungariæ & Sclauoniæ summopere neces/  
sarium est, ut Copiæ quæ in Hungariam afflictam, & attritã  
Sclauoniam mittuntur, singulis mensibus solita stipendia ac  
cipiant, quo facilius sub disciplina militari contineantur, ne  
& sacra & prophana iuxta perturbent, neq; innoxios & fide/  
les regios molestet & expilet. Itē quo Cæsarea uestra Ma/  
iestas ac Sereniss. ac clementiss. Rex noster, una uobiscum  
Electoꝝ, Principibusq; & reliquis sacri Imperij ordini/  
bus, hoc autumno ad componendum & pacandum Regnum  
Sclauoniæ tria peditum millia, ac quatuor tormenta bellica  
naufraga, & totidem minora, quæ campestria uocāt in Scla/  
uoniam mittant, Regnicolæ equitum peditibus se adiunctu/  
ros pro uiribus offerunt, sperantq; hac hyeme effici posse,  
ut ad instantis æstatis tempora, nihil hostile in penetralibus  
regni maneat, quod expeditioni futuræ impedimento esse  
possit.

Item quoniam factio aduersa, in præfatis regnis spargit, &  
nititur fidelibus Regijs, cæterisq; suæ farinae hominibus per/  
suadere, Copias Germanorum non in liberationē, Hungaro  
rum

rum & Sclauorum descensuras, sed ut eos, tanq̄ armis suba/  
ctos, partim deleant, partim seruituti perpetua subijciant,  
Itaq; supplicat uniuersi status Regnorum Hungariae & Scla  
uoniae, ut Caesarea ac Catholica Maiestas, ac Sereniss; ac cle/  
mentiss;. Rex noster vna cum Electoribus, principibus, &  
reliquis sacri Imperij statibus, dignentur Hungaros & Scla  
uos cum ceteris nationibus coronae Hungariae subiectis quaeq;  
literis suis in suo statu assecurare, quod copiae in Hungaria  
descensure, neminem oppriment aut quouis modo in rebus  
aut persona molestabunt, qui Regiae Maiestati fuerit fidelis,  
uel in posterum cum copijs Germanorum, una aduersus Tur/  
cas & eorum fautores fideliter arma caperet, constanterq;  
dimicarent, habita etiam commiseratione eorum qui omni  
defensionis solatio destituti, Turcae Tirannidem inuiti fer/  
re coacti fuerint.

Cæterum si proxima hac hyeme Sacratiss. uestra Maiestas  
ac Sereniss. ac clementiss. Rex noster, uosq; Electores, pr.  
cipes, & reliqui sacri imperij ordines, Regna praefata paca  
re communi studio & auxilio neglexeritis, aut in aliud tem  
pus reieceritis, cogetur infelices utriusq; Regni status, omni  
defensionis spe orbat, Turcarum principi tributum pende  
re, ut & suas calamitates, & Regnorum maiorem uastitate  
uitare possint. Nam etsi liberationis potiundae & defensio  
nis gratia, nihil non tentandum & ferendum ab initio putas  
sent, Cum tamen maxima spe externi auxiliij frustrati hacte  
nus sint, pudet eos sese uniuerso orbi terrarum adeo insolitu  
spectaculum exhibere, ut praeter omnium ferarum seuiam  
in fratres, liberos, & affines, sanguine cognato plus satis con  
taminati, mutua cede grassentur, & quicquid ab armis ex/  
B in terno/


ternorum mansit, id totum ipsi inter sese uastent.


Tandem uniuersi status & ordines Hungariæ & Sclauonia, tanq̄ sincera Christianitatis membra, post longinquas, diuturna & frequentes eorum legationes, & implorata auxilia, hac ultima eorum (nisi succursum illis fuerit) legatione, notum & protestatum esse uolunt cunctis, qui Christiano nomine censentur, se non ex malicia aut liuore, sed ob defectum & dilationem externi auxilij, & desperationem defensionis, liberationisq; suæ inuitus quidem, & non sine grauissimo animi dolore, cogi & compelli, ut tandem post tot bella, clades afflictiones, crebras incursiones, agrorum & oppidorum deuastationes, captiuitates durissimas, fratrum, uxorum, liberorum, amicorum, affinium abactiones & cedes, remedia qualiacunq; querant, quibus ut diximus, clades, calamitates, afflictiones, captiuitates, & extremam dulcis patriæ uastitatem uitare possint, Deus Opt. Max. & iusti Christianianorum Principes, quorum id culpa contingat, uiderint.




Faint, illegible text or markings, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text or markings at the bottom center of the page.








Biblioteka Jagiellońska



stdr0042642



Biblioteka Jagiellońska



stdr0042642

